Zu der

Donnerstag, den 9ten April 1840,

abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

der

sämmtlichen Klassen des Gymnasiums

zu Königsberg in der Neumark

ladet ergebenst ein

J. Guiard,

Prorektor des Gymnasiums und Prediger der kleinern evangelischen Gemeine.



Hierin die Abhandlung des Oberlehrers Dr. Haupt:

Hecate et Hecatos,

seu

rerum divinarum humanarumque apud Graecos principia.

Königsberg in der Neumark.

Aus der Druckerei von Windolff & Striese.

1840

Hecate et Hecatos,

seu

rerum divinarum humanarumque apud Graecos principia.

Quum alio loco demonstraverim *), tum, qua universum animi humani culturam mentisque conscientiam sui, eadem etiam unamquamque ejus notionem procedere triplici perfectionis via, tum, singulorum populorum religiones et actiones iisdem distingui modis ac generibus, *signi, symboli* et *mythi:* hoc loco primum exponam, *ad signi* rationem ac genus et omnium priscorum incultorumqne populorum et antiquissorum Graecorum quoque sacra referenda esse. *Signi* enim vis ac natura ea est ad quam prisci homines, quorum mens numen suum ab externis rebus discernere nondum poterat, sensus omnes cogitationesque suas referrent, re ulla qualibet externa contineri eas et exprimi, atque suum ipsorum animum mentemque ea apparere existimantes. Nolo quidem h. l. qua philosophos decet ratione de animi signo intelligentis natura disserere **) neque de universa populorum *signo* cogitantium, loquentium, agentium, humanitate culturaque disputare; sed tantummodo, quae vulgo notiora sint, ante oculos ponere: sacra populorum pilis, metis aliisque signis, quae ipsorum numinum loco erant, addicta, omnesque populos septentrionalis et orientalis plagae ad Japonenses usque et Sinenses, quorum linguae, scripturae, religionis, privatae publicaeque vitae forma omnis ex signi vi et natura pendeat. Neque non sunt commemorandi Plato et Aristoteles de hac vetustissima et mentis humanae et religionum forma loquentes ***), nec ratio satis memorabilis Justini l. XXII., omnem antiquam religionem hastarum fuisse dicentis: quamquam his mentis humanae jam *imagines* numinis universi concipientis forma significari videtur. Nam

*) Wissenschaftl. Alterthumsk. I. 1. XIX. sqq.

**) Cum Hegelii et Rosenkranzii conferendae expositiones Daubii in Anthropol. 1. S. 240 sqq. „Das *Zeichen* ist irgend eine unmittelbare Anschauung, aber die eine Vorstellung von ganz and rm Inhalt vorstellt, als sie für sich hat; — die Pyramide, in welche eine fremde Seele versetzt wird" etc. Hegel Encycl. §. 379.

***) *Stuhr,* Religionssyst. II. S. 19.

quibus populis quodvis signum pro suo animo i. e. deo est, ii sensu aliquo vago, incerto et quasi coeco vim aliquam suis viribus praestantem et per omnia quae vident intentam sine nomine et forma noverunt ac magis timent quam colunt; ii antem qui e rerum natura imagines et symbola petierunt divinae illius naturae, ut Indi, Aegyptii, Persae populique Asiae minoris (id quod, si Jul. Maternum *de error. prof. relig.* 1—5. auctorem sequi licet, ita factum est, ut appareret aeris vim potissimum Indis, Aegyptiis aquae, Persis ignis, Phrygibus Lydisque terrestrem vim prae ceteris divinae mentis naturam et formam visam esse), eorum populorum sensus jam cogitationum formam lucemque aliquam consecuti sunt. Qui terrae frugiferae donis vitam tranquilli laetique peragebant, iidem et terra vim illam divinam contineri arbitrabantur et eam quasi imaginabantur; contra editiorum aut sterilium regionum incolae sideribus coeloque illam inesse sentiebant, in quibus referendae et gentes semiticae, inter quas etiam prisci Hebraei, in campis late patentibus a Tauro usque ad mare mediterraneum atque australe, et gentes trans Taurum in Asia septentrionali; et ii quidem quo propius ad Septentrionem, formis imaginibusque vacuam, habitabant, eo minus ad symbolicae culturae gradum ascendere aut numinis certe imagiginem aliquam mente concipere poterant, mentem ut daemonium extra se collocasse contenti, et *spirituali* cuidam religioni adsvescentes. Praestat autem symbolum homogenea natura, qua caret et imago, et signum *). Et hoc quidem indefinitum est et significat, quasi πανδῖον s. πάνθειον s. πᾶν, quod constat ipso hoc nomine in deorum graecorum limine positum atque apud barbaras nationes pro summo numine cultum esse ad ipsos Sinenses usque, qui Tien vocant illud divum ἀόριστον.

Ab hac infinita spesie divina totius antiquitatis religiones egressae sunt in eamque, quod jam Romanorum Pantheo cognoscitur, ultima aetate redierunt. Ipsa autem species cum mente humana primum se sentientem, deinde imaginantem, tum intelligentem exhibuit; et sentientem quidem in *signi* quasi regno suo.

In signum aliquod mentis suae vim conferentes et in signo vim divinam illam tanquam repositam habentes, distincta numina ignorabant ac sensu solo adorabant vim occultam, per rerum naturam pertinentem. Quam vim qui mentis corporisque viribus praestarent quum et ad se vel maxime pertinere sentirent, et aliis

---

*) Das *Zeichen* ist vom Symbol verschieden, einer Anschauung, deren *eigne* Bestimmtheit ihrem Wesen und Begriffe nach mehr oder weniger der Gedanke ist, den sie als Symbol ausdrückt" etc. *Hegel* l. l. „Die Vorstellung, vollends aber der Gedanke, Begriff, die Idee einem Bilde informirt, so dass dieses hiermit Symbol sei, hat und muss mit dem Bilde und Gegenstand, als worin sie sich äussert, irgend etwas gemein haben; zwischen der Vorstellung und Anschauung im Bild muss eine Homogenität vorhanden seyn" etc. *Daub.* l. l.

eam complecti viderentur, factum est ut sacerdotum genus, quod schamanicum vocatur, exsisteret. Qui primum per se ipsi, deinde rerum nonnullarum subsidio vim ipsi arcanam quandam exercebant in homines et in rerum naturam. Quam vim, cujus illi participes videbantur, seu magicam, seu daemonicam, seu magneticam, seu sympatheticam dicere licet, non per homines solos, sed per coelum et terram totamque naturam intentam et ab amoris non separatam esse, eademque omnia quae sunt contineri, priscis hominibus, acri sensu rerum vires rationesque percipientibus adeo apparuit, ut postea, quae initio sine nomine erat, eam pluribus nominibus apellandam, ad eam id rerum principium, quod sedium suarum coelo et natura, ut supra dixi, potissimum ante oculos proponitur, aëra, astra, terram, aquam, ignem cet. referendum, eamque caeremoniis sibi conciliandam putarent.

Et revera eam esse mentis vere divinae aeternaeque vim, qua ea et mentem humanam et naturae animum quasi consangvinitatis vinculo aeterno sibi conjunctum connexumque haberet, quis est quin sibi persuaserit?

Quae vis divina, cum ejus imaginem mente conciperent, eamque vitalem ac omnis vitae fontem cognoscerent, non tam masculo numini, quam, cum foemineum sexum ejus inprimis participem compotemque sentirent, foemineo numini adtribuenda visa est; atque quoniam de Hecate mox plura disputabuntur, h. l. illud affero quod ejus naturam putatur referre apud Irokeses dea Atahentsik, apud Virginiae incolas Kiwasa; apud Indos Bhavanî et Parivatî, quodamodo etiam Srî et Lakshmi, maxime autem Kalî, apud Aegyptios Tithrambo, Nephthys seu Athor *), et ut taceam de Germanorum simili forma divina, Hehl, apud Persas seu potius Armenios Anahitis, apud Cappadoces dea Comanica cet. *Masculi* numinis species Swantewit apud Venedicae stirpis populos parem habet similitudinem, quam *androgyni* forma Mithrae apud Persas, qui Graecorum priscorum simul et Ἑρμῆς (Χϑόνιος) et Ἑκάτη, ut infra demonstrabitur.

Verum haec ejus numinis forma jam *imaginantis* est mentis. Namque etiam apud Graecos hanc ideam, humanae menti insitam, tres quasi aetates progressam esse, signi, symboli et mythi, ab ipsis graecis scriptoribus significatum reperitur. Signi autem eam aetatem dico, qua nec nomen nec forma definita numinis quod sensibus tantum percipiebatur, exstabat, quaque aetate qui illam arcanam ac remotam vim in natura rerum inesse divinabant, ad seque propius pertinere sentiebant, ii sacerdotum et regulorum dignitate et auctoritate gaudebant. Qua aetate apud gentes trans

*) *Stuhr*, System der Religg. II. S. 31 sqq. Buttman, De Dione in Mythol. 1. 22. et ad Midian. Exc. 4.

Taurum habitantes maxime mulieres divinae illius potentiae compotes visae sunt, quae etiam apud Germanicas gentes, haud dubie illis consangvineas, ea excellebant et fatidicae dicebantur: quarum etiam in sedibus Jovis et Dionis Pelasgicis monumenta inveniuntur *). Et mulierum earum vim hecaticam, ut ita dicam, ab amoris non separatam visam esse, quamquam Veneris odium Lemniae, ad idem genus haud dubie pertinentes, sibi contraxisse feruntur, multis fabulis comprobatum est. Mulierum earum in confiniis pelasgicarum et semiticarum gentium numen postea Anahit nominatum est et deae Mitrae seu amoris numini associatum; idem, quum ab initio lapide seu meta significatum esset (Strab. II. p. 512.), postero tempore foeminae formam induit **) Id a mulieribus ferme solis cultum effecit ut eo, quam Lunam potissimum interpretabantur generisque seu sexus genetricem dicebant, quasi pignore mulierum dignitas confirmaretur, iisque viri potestate cederent. Quocum illud conjunctum est, quod sacra procurabantur a mulieribus privatas inter parietes mysteriorum instar, sicut persicae Athenae, quam cum Athena Colchica ap. Pausan. III. 24. idem esse numen credi licet. Nec persica Selene, regni prope numen tutelare (Herod. 64. 37.) et quam deam Magi in solemnibus regiis invocabant (Plin. hist. nat 29. 3., Ciceron. l. de divin. 1. 23.), ab illo numine sejungi potest, et Colchicam Medeam nihil aliud quam illud numen hecaticum esse mox apparebit. In his omnibus ejusdem numinis formis, quibus Artemis Ephesia, Cretensis, Lemnia, Taurica, Brauronia — adnumeranda est, hoc maxime memorabile reperitur, quod imperium quoddam mulierum, utique sensibus viros praestantium, religione consecratum habebant. Longum est autem et ab proposito alienum, de veterum γυναικοκρατείᾳ et de Amazonibus h. l. uberius disputare; et sufficere credo, veras ejus rei rationes indicasse ***). Sed, quoniam quomodo rerum civilium et humanitatis rationes haec constituerit religio, ubique repetendum sit, hoc addi debet, in Asia occidentali muliebrem sexum, in orientali Asia omnino servilem, sui juris fieri coeptum quum, ut taceam de Gallis Cybelae se evirantibus, Veneris religione in australibus, tum religione Lunae, cujus vim propius ad se pertinere sensissent, in regionibus septentrionalibus: ubi ipsa Medea admodum virilis sicut Anahitis et numen Comanicum. In Graecia etiam Argivae, Danaidum fabulis confirmatae publicae rationes, item Spartanorum Artemidi Orthiae sacratae, in vita privata *masculae* Sapphonis rationes

*) Vide Not. p. 5.
**) *Stuhr*, System der Religion. II. S. 247 sqq.
***) *Nagel*, Geschichte der Amazonen S. 10 sqq.

et multa alia inde pendebant. — Figurae masculae autem daemonium illud seu mens congruentem formam i. e. *spiritualem essentiam* suam in Hebraeis habebat.

A signi numinis illius regno ad imaginis, in quam, majore potestate et luce assumta, signum mutatur, transeuntibus sexcenta exempla occurrunt, maxime ipsius Anahitidis cum Pessinuntia, Ephesia, Taurica aliisque speciebus cognatis imagine exornatarum. Verum ad Hecaten, seu ad ejus numinis formam *a priscis Graecis* conceptam, nobis statim pergendum est.

Et taceo de orphica graecae antiquitatis aetate, qua ejus numinis notione Graecorum animos primum imbutos esse volunt, quam quidem aetatem Homericae multo priorem faciunt; apud Homerum autem ipsum Hecates nomen non dictum, ea vis autem pluribus locis significata est. Nam Od. X. Circe eam vim exercet quam ipsa Hecate seu Medea ejusque famulae: quarum cognationem exponit Sch. Apoll. Rh. III. 200 . . . . *θυγατέρα, ᾗ ὄνομα Ἑκάτη· — ἀνδρικὴν παρ τ. κ. —; ταυτὴν γήμασθαι, πεμφθεῖσαν εἰς* Κόλχους Αἰήτῃ *τῷ πατραδέλφῳ· ἀφ' ἧς γενέσθαι* Κίρκην *καὶ* Μήδειαν cet. et Schol. ad Od. X. 276.: *Λέγει καὶ πολυφάρμακον τὴν* Κίρκην· *ὁμοία ἦν καὶ ἡ παλαιὰ* Μήδεια *καὶ ἡ* Κροκοδίκη cll. Sch. ad XII. 124. Et alio loco demonstravimus, campum rerum illo Odysseae loco narratarum non in extremo mari occidentali, sed in septentrionali Asiae occidentalis et in ponto Euxino esse; eorumque locorum ex vera conditione, non ex phantasiae fonte velim tibi persuadeas has magarum formas ductas esse: vide de Aea et Aeëta Sch. Apoll. Rh. 1. 1093. et Diod. Sic. IV. 45. *συνοικήσασαν* Ἑκάτην Αἰήτῃ cet. *) Fascinandi et incantandi (*τοῦ θέλγειν* —) subsidiis Circe utitur iis quae ei et alibi adtribuuntur, ut Leucophyllo, ut sceptro magico quo etiam Ἑρμῆς *χρυσόῤῥαπις* est insignitus: quod non primum, sed alterum priscorum fascinandi generum, in regionibus illis septentrionalibus usitatorum, est, quod *Hegel, Rosenkranz, Stuhr* alii *indirectum* genus dicunt: cujus multa alia et exempla et subsidia apud Homerum inveniuntur, ut herba *μῶλυ* Od. X. 305., fascinus Ulyssi ab Inone Leucothea (cujus ad antehomerica pertinentem fabulam hic persequi nolo) ut initiatis a Cabiris (v. Sch. Apoll. Rh. I. 917) datus, alia. Verum etiam *directum* effascinandi genus quod aut visu (*oculis vitiantes Telchines*, Ovid. Metam. VII. cll. Plin. VII. 2., Gell. IX. 4.) aut lingva exercebatur, ab Homero commemoratur: nam Scylla est *δεινὸν λελακυῖα* Od. XII. 85, quem ad locum Schol. *τὴν* Σκύλλαν Φόρκυνος *θυγατέρα καὶ* Ἑκάτης *ὁ αὐτός λέγει.* Ὅμηρος *μέντοι* (v. 124.) Κραταιὶν *ἐν τοῖς ἑξῆς μητέρα τῆς* Σκύλλης *δηλοῖ — ἀλλ' οἱ μάγοι* Ἑκάτην *φασὶν αὐ-*

---

*) Buttm. Mythol. II. S. 182. *Aeetas, dessen Tochter oder Enkelin Hekate, ist als Zauberer hinlänglich bekannt u. s. w.* cf. Eustath. ad Od. X. 139., Apollod. I. 9. 1.

τήν· — Στησίχορος δὲ Λαμίαν αὐτῆς μητέρα ποιεῖ. Etiam Hesiodus eam Phorbae et Hecates filiam dixit. Deinde etiam Calypso, ad idem genus pertinens, ab incantando αὐδήεσσα dicitur (ut Scylla X. 136., Ino Leucothea V. 334.). Eodem pertinet illud βώστρειν de Scylla dictum Od. XII. 124.

Sed non solum vis Hecates apud Homerum significata invenitur, verum etiam illud, quocum ea ab initio conjuncta reperitur, masculum numen, quod probabile est olim Ἕκατον dictum fuisse, quem Graeci Ἑρμῆν, Latini Mercurium dixere. At longum est omnia, quae ad priscam hanc Mercurii formam pertinent, ex Homero colligere. Nam ex eo quod is in Iliade modo fertilitatem et opulentiam praebet, quod vis ejus pariter atque Hecates ad tria regna pertinet, quod est somni dator, quod χρυσόῤῥαπις, quod διάκτωρ, Ἀργειφόντης, ἐριούνιος — (ψυχοπομπός), facile intelligis, quae inter ejus et Hecates vim intercedat ratio. Idem, qui postea Χθόνιος dictus est, Νόμιος factus jam a Pelasgis agriculturae intentis: Hymn. Hom. XVIII., 5. *). Is cum numinibus istis hecaticis in Odyssea ita versatur, suam ut ipse doceat vim et naturam ad illarum formas pertinere. In earum numero etiam Sirenes et Helena referendae. — Praeterea vocis δαίμων usus Homericus is est qui nos eum cogat ad obscuri illius universalis potestatem referre (δαίμονα δώσω, στυγερός οἱ ἔχραε δαίμων, δαίμονος αἶσα κακή). Ejus foemininum autem Δάειρα. Haec est *ea spiritualis* religio, quae cum *materiali* Pelasgarum conjuncta Hellenicam genuit.

At simul intelligitur, Homeri aetate illud culturae principium, quo occulta illa numina in hominum animis vitaque dominabantur, et in remotiora barbaraque terrae loca inveniri relegata, et Hecaten cum conjuge solum e vestigiis residuis posse cognosci. Nam Ἑρμῆς, sive sic ab initio vocatus est, sive Hecati nomen gessit, jam aliam tum naturam induerat, et Hecate in Artemidis potissimum naturam formamque transierat **). Graecorum enim, seu, ut ap. Homerum est, Ulyssis ingenium sua luce loca ista et tempora jam illustraverat spectraque illa in terrae occultae recessus removerat. Nam cum Thracibus istis commixti Pelasgi, naturae viribus vicissitudinisque addicti, novum culturae genus protulerunt.

Igitur de Graecis expondituro prioris quam Homeri aetatis monumenta circumspicienda sunt, non istius quidem schamanicae seu barbaricae quam supra tractavimus, at ejus quae huic successit. Ea est autem pelasgica Graecorum aetas; qua

---

*) V. *Goeller,* Demeter und Persephone S. 201 sqq. Postea Nomii natura quoque in Apollinis formam abiisse videtur: qui Apollo Nomios pari tum necessitudine orcum et inferorum res adtingere coepit, id quod potissimum ex Admeti fabula intelligitur.

**) *Goeller,* l. l. S. 52 sqq. *Mercurius unus Coelo patre, Dia matre natus* cet. Cic. N. D. III. 22.

signi vis in symboli vim et naturam transibat. Qua aetate Hecate, ut occultum numen in antris, qualia etiam Homericae illae formae habitant, et nocturno tempore coli coepta, sicut Anahitis, Mithras al. in Asia, atque, utpote in coelo, terra, mari dominans, triceps facta et canibus insignita est, sicut Hecatos lupi natura specieque (Λυκαῖος) significatus. Et nolo quidem de antrorum nocturnique temporis significatione *) aut de sacris Hecates ad vias et in triviis ubi sepulcra mortuorumque monumenta erant, et in foveis plerumque cum sangvine olim hominis, postea nigri pecoris (v. interprett. ad Ovid. Met. VII. 243 sq.) factis loqui aut de canis et lupi symbolo ita exponere ut ex Asiaticarum religionum genere, quo canis et lupus frequentissimum naturae divinae per remotissima et occultissima quaeque maxime vigili acutaque acie penetrantis et scelera vindicantis, maxime pejurium et parricidium, (Hecates, Fernwirkerin) symbolum erat, aut canes et lupi ea de causa numinum instar colebantur, quod ii illam vim, quam aliis populis lapides herbaeve, siderum maxime munere, accepisse videbantur, omnia quae huc pertinent afferre. Canis enim et lupus consangvinitate conjuncti quidem, sed in symbolico genere lupus saepe etiam ad lucem et vitam pertinere videtur: Aeschyl. Sept. ad v. Theb. 175 cll. interprett. ad Choeph. 258 sqq. 405 sqq., canis ad noctem modo, luctum mortemque relatus esse. Et canis quidem noctem, luctum mortemque significans, etiam ultimas terrae oras quibus regnum mortis initur indicat. Hinc Hom. Il. VIII. 366. 67. *εὖτέ μιν εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο προὔπεμψεν ἐξ Ἐρέβευς, ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο*: vid. Heyn. adnot. ad h. l. et ad Apollod. p. 428. Misit eo Juno Argiva Herculem; et Mela I. 19, 7.: in eo (Ponto Euxino) primum Mariandyni urbem habitant, ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam. Heraclea vocitatur; id famae fidem adjicit. Juxta specus est Acherusia, ad Manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum existimant." Cf. Strabon. XII. Nomen Cerberi fortasse ab eadem radice unde *κέρσος* ap. Apoll. Rh. I. 917. ductum; forma ejus triceps ut Hecatae. Et gentes Mongolicae simul cum priscis Medis ac Persis canem venerantes daemonicam illam et arcanam colebant vim divinam. Quam vim inter Graecos Socrates menti suae vindicare studuit, quasi in libertatem quandam vindicaturus. Atque cultu eam quodam prosequens juramento *νὴ τὸν κύνα* videtur usus esse, qui *κύων* ejus daemonium esse jam visus est interpreti doctissimo Platonicae apologiae: vid. Stallb. adnot. ad Apol. §. 22. Id Socratis studium per Platonem, Aristotelem ceterosque philosophos vulgarium ex Mercurio et Hecate ortorum deorum contemtores divinique illius genii per rerum

---

*) Schol. Apoll. Rh. III. 847. Νυχίαν δὲ εἶπεν cet.

τήρ: — Στησίχορος δὲ Λαμίαν αὐτῆς μητέρα ποιεῖ. Etiam Hesiodus eam Phorbae et Hecates filiam dixit. Deinde etiam Calypso, ad idem genus pertinens, ab incantando *αὐδήεσσα* dicitur (ut Scylla X. 136., Ino Leucothea V. 334.). Eodem pertinet illud *βώστρεῖν* de Scylla dictum Od. XII. 124.

Sed non solum vis Hecates apud Homerum significata invenitur, verum etiam illud, quocum ea ab initio conjuncta reperitur, masculum numen, quod probabile est olim Ἕκατον dictum fuisse, quem Graeci Ἑρμῆν, Latini Mercurium dixere. At longum est omnia, quae ad priscam hanc Mercurii formam pertinent, ex Homero colligere. Nam ex eo quod is in Iliade modo fertilitatem et opulentiam praebet, quod vis ejus pariter atque Hecates ad tria regna pertinet, quod est somni dator, quod *χρυσόῤῥαπις*, quod *διάκτωρ*, Ἀργειφόντης, *ἐριούνιος* — (*ψυχοπομπός*), facile intelligis, quae inter ejus et Hecates vim intercedat ratio. Idem, qui postea Χθόνιος dictus est, Νόμιος factus jam a Pelasgis agriculturae intentis: Hymn. Hom. XVIII. 5. *). Is cum numinibus istis hecaticis in Odyssea ita versatur, suam ut ipse doceat vim et naturam ad illarum formas pertinere. In earum numero etiam Sirenes et Helena referendae. — Praeterea vocis *δαίμων* usus Homericus is est qui nos eum cogat ad obscuri illius universalis potestatem referre (*δαίμονα δώσω, στυγερὸς δέ οἱ ἔχραε δαίμων, δαίμονος αἶσα κακή*). Ejus foemininum autem Δάειρα. Haec est *ea spiritualis* religio, quae cum *materiali* Pelasgarum conjuncta Hellenicam genuit.

At simul intelligitur, Homeri aetate illud culturae principium, quo occulta illa numina in hominum animis vitaque dominabantur, et in remotiora barbaraque terrae loca inveniri relegata, et Hecaten cum conjuge solum e vestigiis residuis posse cognosci. Nam Ἑρμῆς, sive sic ab initio vocatus est, sive Hecati nomen gessit, jam aliam tum naturam induerat, et Hecate in Artemidis potissimum naturam formamque transierat **). Graecorum enim, seu, ut ap. Homerum est, Ulyssis ingenium sua luce loca ista et tempora jam illustraverat spectraque illa in terrae occultae recessus removerat. Nam cum Thracibus istis commixti Pelasgi, naturae viribus vicissitudinisque addicti, novum culturae genus protulerant.

Igitur de Graecis exposituro prioris quam Homeri aetatis monumenta circumspicienda sunt, non istius quidem schamanicae seu barbaricae quam supra tractavimus, at ejus quae huic successit. Ea est autem pelasgica Graecorum aetas; qua

---

*) V. *Goeller,* Demeter und Persephone S. 201 sqq. Postea Nomii natura quoque in Apollinis formam abiisse videtur: qui Apollo Nomios pari tum necessitudine orcum et inferorum res adtingere coepit, id quod potissimum ex Admeti fabula intelligitur.

**) *Goeller,* l. l. S. 52 sqq. *Mercurius unus Coelo patre, Dia matre natus* cet. Cic. N. D. III. 22.

signi vis in symboli vim et naturam transibat. Qua aetate Hecate, ut occultum numen in antris, qualia etiam Homericae illae formae habitant, et nocturno tempore coli coepta, sicut Anahitis, Mithras al. in Asia, atque, utpote in coelo, terra, mari dominans, triceps facta et canibus insignita est, sicut Hecatos lupi natura specieque (Λυκαῖος) significatus. Et nolo quidem de antrorum nocturnique temporis significatione *) aut de sacris Hecates ad vias et in triviis ubi sepulcra mortuorumque monumenta erant, et in foveis plerumque cum sangvine olim hominis, postea nigri pecoris (v. interprett. ad Ovid. Met. VII. 243 sq.) factis loqui aut de canis et lupi symbolo ita exponere ut ex Asiaticarum religionum genere, quo canis et lupus frequentissimum naturae divinae per remotissima et occultissima quaeque maxime vigili acutaque acie penetrantis et scelera vindicantis, maxime pejurium et parricidium, (Hecates, Fernwirkerin) symbolum erat, aut canes et lupi ea de causa numinum instar colebantur, quod ii illam vim, quam aliis populis lapides herbaeve, siderum maxime munere, accepisse videbantur, omnia quae huc pertinent afferre. Canis enim et lupus consangvinitate conjuncti quidem, sed in symbolico genere lupus saepe etiam ad lucem et vitam pertinere videtur: Aeschyl. Sept. ad v. Theb. 175 cll. interprett. ad Choeph. 258 sqq. 405 sqq., canis ad noctem modo, luctum mortemque relatus esse. Et canis quidem noctem, luctum mortemque significans, etiam ultimas terrae oras quibus regnum mortis initur indicat. Hinc Hom. Il. VIII. 366. 67. εὖτέ μιν εἰς Ἀΐδαο πυλάρταο προὔπεμψεν ἐξ Ἐρέβευς, ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο: vid. Heyn. adnot. ad h. l. et ad Apollod. p. 428. Misit eo Juno Argiva Herculem; et Mela I. 19, 7.: in eo (Ponto Euxino) primum Mariandyni urbem habitant, ab Argivo, ut ferunt, Hercule datam. Heraclea vocitatur; id famae fidem adjicit. Juxta specus est Acherusia, ad Manes, ut ajunt, pervius, atque inde extractum Cerberum existimant." Cf. Strabon. XII. Nomen Cerberi fortasse ab eadem radice unde κέρσος ap. Apoll. Rh. I. 917. ductum; forma ejus triceps ut Hecatae. Et gentes Mongolicae simul cum priscis Medis ac Persis canem venerantes daemonicam illam et arcanam colebant vim divinam. Quam vim inter Graecos Socrates menti suae vindicare studuit, quasi in libertatem quandam vindicaturus. Atque cultu eam quodam prosequens juramento νὴ τὸν κύνα videtur usus esse, qui κύων ejus daemonium esse jam visus est interpreti doctissimo Platonicae apologiae: vid. Stallb. adnot. ad Apol. §. 22. Id Socratis studium per Platonem, Aristotelem ceterosque philosophos vulgarium ex Mercurio et Hecate ortorum deorum contemtores divinique illius genii per rerum

*) Schol. Apoll. Rh. III. 847. Νυχίαν δὲ εἶπεν cet.

naturam intenti *) vindices continuatum, per Christum denique perfectum esse infra demonstrabitur. De luctus indice cane, de Dianae cane, de Sirio, Κυν-αίθιρ cet. non exponam nec quomodo is pertineat ad Haden, ad Thaauten, Aesculapium, quod monuit *Nork* Hieroglyph. p. 88 sq., 220 sq. Denique amores Hecates et Mercurii ἐν Κυνηγεσίῳ Tzetzes ad Lycophr. 689. 1176. illustrat, atque de canibus Persephones, quae alibi Erinnyes, alibi planetae sunt, alio loco disserendum est ubi de Musis Hecates (Strab. X. p. 468) agitur. Hic modo addo, Diodorum omnem Graecorum de inferis doctrinam fabulasque ex Aegypto profectas esse exponentem et de Mercurio inferno secundum Homeri et Orphei carmina et de Cerbero secundum Aegyptiorum fabulas loqui et addere haec: εἶναι δὲ λέγουσι πλησίον τῶν τόπων τούτων καὶ σκοτίας Ἑκάτης ἱερόν — scil. ad aditum inferorum. Ultricis Hecatae canes Aesch. Choeph. 1018. Eum. 125. 219. B., Soph. El. 1415. al. — De lupi autem symbolo disserunt de prisco Jove Lycaeo loquentes *Winkelmann*, Lycurg. (Berl. 1826) p. 42 et *Stukr* l. l. S. 36—38. Et id lupi symbolum in Aegyptiorum fabulis de inferorum regno frequentari satis cognitum est. Quo symbolo si lux et vita significatur, ea talis est quae ab ultione et vindicta proficiscatur, quae saepe in inferis demum perficiuntur. In vivis sangvis exigebatur pro sangvine et numina placabantur sangvine humano, donec quasi foedere per Harmoniae et Cadmi nuptias facto mitiores dii et divinae leges valere coeperunt. Sangvinis ejus exactor lupus multis cognoscitur fabulis quarum origo ab asperioribus regionibus aut temporibus Graecorum repetenda est. Nam postquam Graeci laetiores sedes nacti sunt, laetiores deorum formas perceperunt, et pro crudeli poenarum et expiationum exactrice Hecate Themidem, pro Hecato Apollinem delphicum jurum et legum principes accepere. Inter utramque culturae aetatem interposita autem videtur illa qua ad splendidos noctis dominos coelique rectores summa veneratione homines suspiciebunt; qua aetate Asterie, Asterion, Hecates musae, Io, Europa **) — Phoebus et Phoebe, Latonae liberi, — animis percepti paululum cruentum sacrorum procurationem mitigasse videntur. Cujus aetatis sicut prioris fabulae et instituta quam fre-

---

*) Cf. cum Orphicis hymn. et Orphica Argonaut. Apollon. Rh. argon. III. et Ovid Metam. VII. 192 sqq. De Romanorum eo cultu, canum non experte v. *Hart:* Rel. d. R. I. p. 61 sqq.

**) „So war die alter Erinnerung nach ursprünglich rein geistige Gottheit (Hekate-) Jo in den fleischlichen Gelüsten des Geistes, in die silberne Mondkuh, verwandelt worden. So auch hatte Hermes-Kadmos, indem er in Irrfahrten herumwanderte, die verschwundene Europa aufzusuchen, die Hekate-Harmonia gefunden, die Fürstin der Geister der Mondscheinnacht, mit der er das einträchtige Gesetz der Welt-Ordnung zeugte. — Europa weist auf phönizischen Sterndienst zurück." *Stukr.* l. l. l. 155. Hermes (Hekatos) ward *Mittler*, zunächst Verwalter der menschlichen Seele mit dem olympischen, wie mit dem chthonischen Zeus: S. 317.

quenter ac multifarium lupi praebeant vim et imaginem, exemplis a Stuhrio l. l. p. 195 sqq. allatis satis intelligitur: quae exempla omnia et ad Hecates et Mercurii pristinam religionem pertinent, et cum ea religione morum humanitatisque praecepta arctissime consociata fuisse comprobant. Jam collocatus ante plurima Athenarum dicasteria heros Lycos lupi forma, et lex de lupi occisore lata, quid sibi voluerit apparebit. Addendum est autem, Hecates et Hecati nomine ipso eam vim (Fernwirkung) ita esse indicatam ut, quatenus ea in incantationibus seu fascinationibus ad remotissima intentis cerneretur, potissimum significaretur: quae vis et Artemidi et Apollini (Ἑκάτῳ, Ἑκαέργῳ cet.) apud Homerum adtribuitur. Et de Apollinis et Asculapii potestate simili infra dicendum.

Prioris autem aetatis Graecorum divini ministri fama inclaruerunt Dactyli, Curetes, Corybantes, Cabiri et Telchines, quibus Cyclopes addi debent; pelasgicae vitae sedes in Asia occidentali sunt, in insulis maris Aegei, in Thracia, Thessalia, Arcadia, Boeotia, Argis, Attica, in insula Aegina. Et Dactyli, Curetes cet. schamanicam istam sacerdotum barbarorum naturam proxime accedunt, *directo* fascinandi genere utentes, adjuvantibus corporis motibus et voce, aut oculorum acie (Telchines) vim magicam exserentes. Sed silentio transeo, quae Welckerus, Otfr. Müllerus, Creuzerus, Lobeckius, alii de eorum artibus docuerunt in vulgus nota; de numinibus eorum autem tutelaribus exposituro statim Hecate et Mercurius s. Hecatos, quamquam variis ii quidem nominibus, aut parentes liberive eorum, occurrunt, quod pauci cognoverunt: ut Lobeckius Aglaoph. II. p. 1215. testimoniis collectis examinatisque, haec, inquit, nisi omnia temere et ascitanter conficta sunt, statuamus necesse est, Samothraces Lemniosque deam quandam coluisse Hecatae et Dianae (ea namque Bendis putatur) similem neque diversam a Proserpina cujus cum Mercurio furtiva commercia in mysteriis Cabiris enarrata esse ex Herodoti verbis collegimus Herod. II. 51." Quodsi Schol. Paris. Ap. Rh. I. 917. proditur, *trium* Cabirorum nomina vulgasse Mnaseam Ἀξίερον, Ἀξιόκερσαν, Ἀξιόκερσον· Ἀξίερον μὲν εἶναι τὴν Δήμητραν, Ἀξιόκερσον δὲ τὴν Περσεφόνην, Ἀξιόκερσον δὲ τὸν Ἅιδην, quartum adnumerari Cadmillum, qui Dionysodoro judice Mercurius sit: equidem, ut taceam de primo numine ἀξι-ερος quum Hecatica vis talis sit quae ab amoris separari non possit, atque is Eros auctore Cicerone D. N. D. III. 23. filius Mercurii et Dianae primae i. e. Hecates s. antiquioris Artemidis haberi debeat, tribus ceteris Hecaten et Mercurium (a cujus filio Samum, i. e. Samothraciam nomen accepisse, quae antea dicta fuerit Leucosia — quo Inonis Leucotheae, de qua paulo ante dixi, memoria renovatur —, Schol. eodem loco narrat) atque Casmillum dialecto mystica, de qua mox loquar, dictas esse conjicio. Et Casmilus quidem a Mercurio nihil

differt nisi quod *patiens deus* est i. e. imago rerum naturae vicissitudinibus obnoxiae quam maxime Asiae minoris populi cum Aegyptiis lugendam sentiebant (Thammuz, Attis, Adonis —) ut Hebraei Jehovae servum, i. e. animum humanum. Neque Ἀΐδης a Mercurio differt, et Proserpina cum Hecate unius est stirpis. Nomina autem, si de praefixa syllaba ἄξιος per se clara ut in ἀξιόταυρος simil., discesseris, ἐρσος, κερσα, κερσος ad significationem domini redire, indogermanicarum lingvarum rationes svadent, si quidem ἐρτ s. ἀρτ de qua syllaba exponit *Gesenius* (Wörterb. d. hebr. Spr. II. p. 1247), cognata est syllabae ἐρς et cum prima aspirata ἑρς s. ἑρ: ut etiam Artemis et Φερσεφόνη, et Ἑρ-μ-ῆς et Κά-β-ειρος *) inter se cognatae stirpis esse possint sicut Ἀρταῖοι, Ἄριοι, Eriene alia, quae affert *Rhode* (über Alter und Werth einiger morgenl. Urkunden p. 41). Cf. *Creuzer* Symb. I. 2. S. 234.

Sed mittamus lubricam de his nominibus quaestionem: qua quidem hoc memorabile emergit, ἄρειον γένος recte dici videri Magos ap. Damasc. (περὶ ἀρχ., v. Creuz. l. l.). Magicas autem artes exercuisse Cabiros sacerdotes Sami, Samothraciae, Imbri, Lemni, et fascinos dedisse initiatis maxime ob maris pericula, Hecaticasque ceremonias coluisse, statim ex eodem *Apollonii* et Scholiastae loco satis apparet, cf. III. 860 sqq. c. Schol. Diva mater quae Cabeira s. Cabiro dicta est (Strab.) procul dubio Hecate. Cujus conjux quod alibi pro Mercurio Vulcanus (cum conjuge Venere) nominatur, neminem offendit nisi eum, qui nescit in quam varios posterioris aetatis deos rerumque principia illa, quae initio sine nomine et forma erant **), antiqua numina accedente externa causa ab coeli terraeque alicujus natura hominumque ingenio ac moribus, translata sint: ut ignis vis numinis universi forma et natura ibi habita ubi metalla tractabantur aut solum vulcaneum erat. De Hecate autem cabiria, quae per Cadmeorum gentem Harmoniae formam ac naturam, qua Thebis summopere colebatur (Plutarcho teste), induit et postea Demeter cabiria facta est, testis Nonni (XXX. 45.) Cabirus Lemnius Ἑκάτης θιασώδεα πύρσον ἑλίσσων. Et sacra Cabiriaca Samothraciae Herodotus II. 51. quidem dicit *pelasgica*.

Pelasgica , ut ita dicam, Hecatica praeter illas insulas cabiriacas aliae insulae simili modo celebrabant. Harpocration Ἑκάτης Νῆσος — πρὸ τῆς Δήλου κεῖταί τι νησύδριον, ὅπερ ὑπ' ἐνίων καλεῖται Ψαμμητίχη, ὡς Φανόδημος ἐν πρ. Δηλιακῶν. Ψαμμητίχην δὲ κεκλῆσθαί φησιν ὁ Σημὸς ἐν τ. πρ. διὰ τὸ τοῖς Ψαμμήτοις σεμᾶσθαι τὴν θεόν cet. Pelasgos autem tantummodo conformasse ab Thracia gente oriunda haec

*) In qua voce tum syllaba κα cognata cum graeca γα et ζα (*valde*) in ζάθεος, Ἀγαμέμνον cl.

**) Herod. II. 32.

sacra facile apparet. Et Pausanias II. XXX. 1. θεῶν δὲ Αἰγινῆται τιμῶσιν Ἑκάτην μάλιστα καὶ τελετὴν ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος Ἑκάτης· Ὀρφέα σφισι τὸν Θρᾷκα καταστήσασθαι τὴν τελετὴν λέγοντες. De quibus mysteriis disserit Lobeck. Aglaoph. p. 342. Pausanias autem addit, Hecates signum a Myrone factum, cujus unicum os ut corporis truncus unicus, quum primus Alcamenes Atheniensibus triplex fecerit junctis corporibus Hecates signum quam Epipyrgidiam Athenienses appellent, juxta involucris Victoriae aedem positam. Herodotus autem de Aeginetis V. 83: εἰσὶ δέ σφι καὶ ἄῤῥητοι ἱρουργίαι.

In continentis Graeciae septentrionalibus Asiaeque adjacentibus partibus maxime Hecaten olim cultam esse et multa docent monumenta et evincit ratio. Orthosia, Bendis et Daira et Brimo, ad quam Musae pertinebant (*Welck.* Kret. Kolon. S. 35.), etiam Empusa ibi multis locis nominata et valde reformidanda summopereque placanda visa est secundum locorum illorum ingenium. Taceo de numine ejus Taurico sangvine humano placato: Cf. *Meyen,* de Diana Tauric. dissert. Thraciam appellat eandem deam Hesychius: Θρακία γὰρ ἡ θεός. Et Mercurium regum numen gentilicium fuisse ex Herodoto cognoscimus. De Hecate earum regionum autem loquitur Apollon. Rh. III. 847—65. cum aliis ita ut foeminarum, ad quas Amazones et Ephesiae ministrae pertinent *), potissimum numen eam fuisse intelligatur. Ab imo septentrionali terriculamenta cultus ejus in loca melioris coeli translata ibique mitigata. Sunt eadem loca Orphicae disciplinae plena, quam facile intelliges maxime ex Hecates et Mercurii ratione rectius celebranda constitisse paresque cum ipsa dea vicissitudines sortesque in Graecia propria passam esse.

Omissa Epiro, ubi Zeus et Dione cum mulieribus fatidicis nihil aliud quam Mercurins et Hecate **) ad inferiora loca descendentibus Thessalia nobis occurrit, Hecates cultu magicisque artibus inclyta, et Jasonis et Medeae quae ipsa est Hecate ut Jason Mercurius, et Minyarum calamitatibus ad ea sacra pertinentibus et cum Lemniorum maxime civilibus rebus conjunctis celebratissima. De mysteriis autem Hecates et Mercurii Phereis loquitur *Preller, Demet. u. Perseph. p.* 54. Deinde Medeae sedes secundum fabulas altera apud Graecos priscos Corinthus s. Ephyra erat, ubi sane multa Hecatica: Lobeck. Aglaoph. p. 1213. Minyae autem ad Boeotiam nos ducunt. Ibi maxime cabiria sacra Thebarum et Anthedonis nos Hecates (-Harmoniae) admonent ut Cadmus Mercurii. Ibi Hesiodus Hecatae laudes, quas infra laudabimus, didicit ac cognovit. — Arcadia antiqua et Pelasgorum et Mercurii

---

*) Hinc fabula illa de Myrina Samothraciorum mysteriorum parente.

**) *Stuhr* l. l. II. 31 sqq. *Buttmann:* Von der Dione, Mythologus I. S. 22 sqq.

Hecaticarumque rerum sede satis celebris. Ibidem Pan nescio an recte credatur ex pristino numine universo fluxisse, quamquam ejus cultus ab Herodoto posteriori aetati adscribitur *). Et ut omittam fabulas de Lycaone, de Demetre in equum mutata (de equina Hecatae imagine jam locuto Wurmio) satis habeo memorabile Theopompi de domestico Mercurii inferni et Hecatae cultu testimonium ap. Wurm. l. l. p. 13. commemorasse. In reliqua Peloponneso Argos et Sicyon ea sacra celebravere. *Lobeck*, Aglaoph. p. 1213. Item Elis Hecati s. Mercurii sacris excelluit.

Deinde in Attica Eleusinorum sacra ab initio Hecates fuisse patet ex iis quae de Daira V. D. disserunt (*Siebel.* ad Paus. I. 38. 7.) et quae supra diximus, suntque praeterea multa in antiquissimis Atticae heroum fabulis ad Hecaten et Mercurium referenda. Sed omnium maxime memorabile illud est, quod ista, unde haec disputatio egressa est, divina vis universalis nomine ipso *Pandion* in fabulis priscis reperitur. Cujus filia Ἕρση ad nomen illud ἔρσος ap. Apoll. Rh. redit, et amata est Mercurii, cujus signum myrthorum ramis absconditum in Minervae templo stetisse auctor est Pausanias I. 27. cf. *Stuhr* l. l. S. 67. Denique Hecates Epipyrgidiae, ad propylaea arcis collocatae, triplicis utpote οὐρανίας, χθονίας, ἐναλίας signum jam commemoravimus: Paus. XXX. 1. Et προπυλαία cognominata ὡς ἔφορος πάντων καὶ κουροτρόφος omnibus locis collocata fuisse videtur: v. *Siebel.* ad. loc. Pausaniae.

Postremum in Italia antiqua (ubi Janus-Saturnus et Diana) et in Sicilia illa numina olim culta esse maxime etiam e nummis cognoscitur **).

His igitur in graecae gentis sedibus ab initio cultus Hecates institutus est et ad symbolicum genus pertinuit, quo ipsa dea occultum quoddam numen erat, cujus origo ad sidera, ad Solem et maxime ad Lunam referebatur cujusque vis ad coelum, terram, mare pertinebat (unde triceps Hecate), quae per tenebras nocturnas acie sua penetrabat (unde λαμπαδοῦχος cet.), in antris et nocte colenda erat ut nocturnis daemonibus spectrisque imperitans (quod jam in occidentali et septentrionali Persia ejus munus φάσματα ἐπιπέμπειν τὰ καλούμενα ἑκαταῖα Sch. Apoll. Rh. III. 861.), pariter in mortuis atque in omnium rerum ortu et generatione pollens (hinc κουροτρόφος, προπυλαία, ἐνοδία ***) — sicut posteriore aetate Mercurius et Proserpina †). Symbola ex animalibus praeter canes ††) solus equus (nam de vaccae

*) De deorum formis, posteriori aetati adscriptis ut de Aristaeo, recte judicat *Stuhr* l. l. II. Vorred. S. VIII. sqq.

**) W. l. l. p. 10. Erat Italia prisca daemonicae s. spiritualis religionis altera quaedam patria.

***) Cf. *Siebel.* ad Pausan. I. XXXVIII. §. 6 et 7.

†) *Valckenar.* Diatr. p. 138. 167.

††) *Wurm.* l. l. p. 9. Qui recte huc refert Aesch. Choeph. 888. μητρός ἐγκότους κύνας.

imagine anceps judicium) postea additus (capite equino in nummis, λεύκιππος cet.). Symboli vis etiam in lingva sacrorum ministrorum cognoscitur, quam mysticam dialectum et sermonem deorum appellatam invenimus. Ejus supra exempla adtuli de nominibus deorum huc pertinentium disserens; documenta alia habet Strab. X. p. 425. et Diodorus V. 47. Docuerat idem autem Hecatos s. Mercurius homines sermonem et lingvam: Macrob. Sat. I, 12. Hygin. 143. Per totum autem orientem quum altera lingvae dialectus seu divinae seu sacrae seu principalis nomine inveniatur *), hujus rei causam eam esse puto quod quum altera populi cujusque pars principalis esset altera servilis, horum generum diversitas sicut omni vitae, morum humanitatisque ratione sic etiam lingvae genere aperta et confirmata est quasi certis signis ac terminis.

Apud Graecos idem rerum status aetate antehomerica seu anteachaica. Et ad lingvam ejus aetatis praeter illa quae dixi nomina et appellationes rerum sacrarum et divinarum nomina regionum, locorum, montium, fluminum, urbium eaeque voces referendae quae cum prisca Latinorum, Oscorum et Umbriorum lingva consangvinitate quadam cohaerent. *Cujus prisci sermonis exempla apud Homerum reperiuntur* plurima quidem, sed ad divinam dialectum nec ea omnia, nec, cum imaginantis et figurantis mentis vis sacerdotibus ac vatibus in usum sacerdotalem nova et inaudita vocabula suggereret, illa sola pertinebant. Pari modo in artibus liberalibus. Nam etiam architectura ejus aetatis, quam pelasgicam dicimus, dupplex erat communi nomine cyclopica; cujus *signa* ut Hecate et supra et intra terram rudes lapidum constructiones sunt in Italia ante Umbriorum et Latinorum, et in Graecia ante Achaeorum imperia factae, et ab hoc signi in symboli genus evectae aedificationes portarum, porticuum, thalamorum, sepulcrorum ac hypogaeorum seu thesaurorum, item statuarum ac pilorum cet. Nam post Cyclopum gentem artifices cultiores existebant Idaei Dactyli, Telchines, Lemnii sacerdotes aliique id genus.

At quum omnis de rerum sacrarum principiis expositio, tum haec quae christianae doctrinae origines cum illis principiis conjunctura est, a morum et rerum civilium ex eodem fonte, mente universali aeternaque redundantium expositione separari non debet. Exponendum est igitur paucis, quam vim symbolica haec Hecates et Mercurii religio in hominum mores vitamqne exseruerit. Nam supra jam diximus ad harmoniam quandam eam religionem pertinuisse; et humanitatis doctrinam

*) *v. Humboldt*: Ueber die Kawi-Sprache S. 11 sqq. *Lobeck.* Aglaoph. p. *Lassen* Institutt. lingvae pracrit. p. 11 sqq. Meine W. Alterthumsk. I. 1. S. 282 und II. S. 110 sqq. Ibi cognoscitur etiam hoc, quum abstractorum et appellativorum is sermo amans fuerit, etiam Hecati et Hecates appellationem inde fluxisse.

ac disciplinam cum ea conjunctam fuisse multis indiciis apparet: *Stuhr* l. l. 141. Et omnis quidem religio symbolica hominum animos terrestribus seu naturalibus viribus ac legibus, quas divinas esse persuasum est, alligat et adstringit. Vis ea ut ita dicam substantialis seu principalis populos singulosque homines alii quam suo imperio, coeco ei quidem etiam tum et arcano, obtemperari non patitur: qui si dominis regulisve parent, domini ii et reguli ipsi illius speciem prae se ferunt et naturales, i. e. naturâ constituti, et divini ideoque sacerdotales sunt, numinis nomen potestatemque habent —, ejus sunt nati — ut per totam orientem. Pari modo Cabiri ab initio ipsa numina erant et postea sacerdotes et prophetae: ut etiam Gallorum et Germanorum Druides (vid. *Stuhr* l. l. S. 31) quos cum Samothraciorum et Phoenicum Cabiris ejusdem originis esse auctoritate Strabonis confisi Schellingius, Ad. Pictetus aliique demonstrare conati sunt *). Qui sacerdotes aut prophetae principalium legum divinarumque praeceptorum et omnino divinae mentis sunt interpretes, in quornm numero etiam Dodonaici et prisci Delphici sacerdotes referendi: nam quibuscumque signis oraculorumque generibus divinam mentem divinaverunt senseruntque, in eo consentiunt ii omnes, quod naturam habebant vatem. Ejus mentis divinae voluntas per eos substantialem ac principalem modo morum doctrinam aperuit ac declaravit, maxime pietatis praecepta, primum interdicens parricidium, pejurium ac hospitum injurias **): quae apud Graecos sunt Ζηνὸς θέμιστες (quo nomine et ipsa mysteria cabir. appellantur: Apoll. Rh. I. 917.): ultrices Erinnyes, Hecate oriundae. Quae virtutis praecepta, et eo nomine mancae fuerunt quod virtus a callida prudentia et dolo non separabatur: cujus rei exempla sunt Circe, Calypso, Medea, Mercurius, Aeetes, Perses ***), et eo, quod cum civitatium rationibus saepe parum consentire videbantur, unde omnis pendet Aeschyli Orestias et Antigone Sophoclea, et eo, quod sensus, *αἰδώς*, non ratio, ejus virtutis colendae principium erat. Quae antiqua morum praecepta et cabiriaca et eleusina et orphica ab antiquis nominantur. Iis praeceptis *sub auspiciis Hecati s. Mercurii* cum omnem vitae con-

---

*) *Darttey* de Iberiis dissers. (in Recherches sur l'origine des peuples du N. et de l'Occ. de l'Europe).

**) *Lobeck*. Aglaopham. III Cap. IV., *Stuhr* l. l. S. 29 sqq. Divinae harmoniae cujusdam speciem Pelasgos in rerum natura invenisse, a coeli terraeque suae ingenio proditam, eamque totius Graecorum humanitatis principium fuisse, multis argumentis probari potest. V. *Stuhr*. l. l. Vorred. S. XXI sqq. „Die reine Urwesenheit aller harmonischen Gestaltung, das Ansich der Harmonie aber ist die Liebe. Die Liebe entfaltet sich in ihrem lebendigen Hervortreten, in ihrer Offenbarung, als Friede und Ordnung; ihr Wesen spiegelt sich in der Geschichte ab als Sittengesetz, im Weltall als Naturgesetz" cet. De Harmonia Cadmi, ut Hecate Mercurii, socia cf. St. l. l. S. 55 al.

***) Quo cum Perseus initio idem; qui naturae monstra occulta opprimit παρὰ Ἑρμοῦ δρέπανον λαβὼν —. Vid. *Creuzer* Symb. 3 Edit. I, II. p. 289.

suetudinem privatam ac domesticam, tum imprimis commercia cum perigrinis et mercaturam, quibus tunc publica vita constabat fere omnis nixam eorumque sanctitate confirmatam esse constat, neque, ideo templa sanctaque loca mercaturae sedes fuisse, ignoratur. Sed ut hoc jam exemplo diversitatem Christianae doctrinae demonstrem, Christus mercatores e templo ejecit. Ceterae autem partes christianae doctrinae, qua virtus est liberae mentis facta ideoque verae libertatis salutisque fons, quomodo differant ab illa virtute naturali, postquam, quos progressus ab illo primordio apud Graecos virtutis idea fecerit vim ac naturam suam exserendo, exposuero, ultro patebit, neque philosophorum dogma, antiquitatis et populorum et culturae genera gradus esse varios quibus maxime ex symbolica et mythica exsistat vera θεανθρωπίας forma, et in Deo pariter atque extra Deum constituta cernatur, iis non confirmabitur *).

At ut signum in symbolum sic symbolum in mythum sua ipsius quidem vi ac natura sed quasi artificibus auctoribusque Telchinibus, Lemniis cet. transiit, et ex Pelasgis facti Hellenes. Ii naturam animantem sentientemque intelligentes ejus praesides auctoresque ipsos sapientes esse, et divinas animi vires solam in hominis figuram cadere viderunt: eam figuram liberam liberoque motu praeditam artifices exhibere ita conati sunt, eorum ut quasi sub manibus statuae moveri, κινεῖσθαι, viderentur ut ait Plato cum aliis de Daedalo loquentibus **). Cum statuis dii ipsi tamquam materia elementari exemti suique juris facti sunt, chaosque ac pristina massa in partes sejuncta, quae formis humanis distingvebantur. Symbola κινούμενα et πρὸς ἀνθρωπίνην αἴσθησιν facta ***) et mythorum et aestheticae cujusdam humanitatis, harmoniam sequentis, principia erant, ubi τέκτονες ὕμνων facti sunt ἔπεων τέκτονες, ubi dii materia exuti non solum incedentes et circumvagantes, sed omnino libere sentientes et agentes more hominum, conspecti eo majorem divinitatis gradum consequi videbantur quo id magis καλῶς vel liberalius cultiusque faciebant. Nihilominus autem ea qua dii olim cum principia naturae essent, legati erant, materia principalis seu substantialis apud pristinos poetas, qui deorum ortum ex terrae, aquae, aeris, ignis siderumque divina vi recenti memoria servabant, vim retinet suam: nam fato omnes ex principali Hecates et Mercurii oriundae deorum formae subditae sunt:

---

*) Quomodo in Oriente pantheistico symbolica θεανθρώπου forma Vishnus, al., in Graecia Prometheus, qui Jove longe majorem Deum vaticinatus est, *Mentis* (Metidis) filium, et Hercules mythici ad historicum θεάνθρωπον pertineant, et quomodo profecerit cum Christo Dei ipsius notio naturam in oriente, historiam in occidente complectendo, alibi exponam.

**) Vide Gedikii Excurs. ad Platonis Menonem de statuis Daedali.

***) Callistratus Ἐκφρας. VIII.

quamquam passim Jupiter principalis naturae rerum fatique vices subit. Ortae tali modo videri possunt ex Hecates natura formaque formae ac naturae divinae distinctiores Artemis, Proserpina, Demeter, — Juno, Ilithvia, — Venus *); — et ex Mercurii primum Apollo, dein Dionysus **), Pluto, Vulcanus, — Ποςειδων. — Ab his quasi absorbta parentum vis et exstincta: umbrae in nocturnos inferorum recessus abiere; atque quemadmodum hic minantia ea numina manibus imperitabant, ita sub sole quasi poeseos artiumque liberalium distinctiores earum seu recentiores formae vitae imperium in animantibus terrestribusque habebant. Inter quos deos humanae figurae mente perlucente sancitae exemplum perfectissimum idem factus est Apollo (Hecatos).

Quorum deorum imperio longum est enarrare qualis necessario vita cultusque hominum fuerit venerantium: nam exponi debet et universa Graecorum, ex quo Hellenes facti sunt, cultura et humanitas quae sicut cultus deorum aestheticae nomine recte potest distingvi, et singulorum populorum qui hanc vel illam illarum formarum, θεὸν πατρῷον tutelaremque rati eum esse suum, sibi vindicarunt, peculiarem vitae formam et conditionem, deinde singularum civitatum gentiumque, quae postea inclarescebant, peculiaria jura et bona: peculiares enim suique juris pariter cum diis tum facti homines, accurateque cum illa rerum divinarum vicissitudine idem distinctionis segregationisque principium res humanae secutae sunt. De litteris artibusque liberialibus maxime post religionem ipsam aestheticae indolis ac naturae factis, ab harmoniaeque principio profectis non loquar; civitates autem eadem vi impulsae orientalis despotiae formam exuerunt in libertatemque vindicatae suum quaeque ingenium secutae sunt.

At noli arbitrari hunc rerum statum priori prorsus esse contrarium cum, si accurratius quaesiveris, unius indolis ac naturae sint tum liberae respublicae et despotiae, tum religio symbolica seu orientalis et mythica seu aesthetica. Nam diis materiae vinculis constrictis hominum animi nondum in libertatem vindicantur, et civilis libertatis ratio, ut deorum Olympicorum libertas Mercurii et Hecates, sic servorum quasi fundamento quodam nititur: ut appareat tantummodo deorum et civilium dominorum numerum auctum esse in inferius pariter ac Hecate et Mercurio depressa materia. Parimodo in morum disciplina virtutes non per se expetuntur, vitia fugiuntur, sed publicae salutis causa; quae est virtus καλοκαγαθῶν. Quo fac-

*) Juno et Dione jam aliis proprie idem numen visne; Hecate et Venus in Cabiriis conjugatae: Lobeck Aglaoph. II. p. 1226. 7.

**) Cic. N. D. III. 23: Dionysum primum Jove et Proserpina natum, — tertium Cabiro patre eumque regem Asiae profuisse dicunt, cui Cabiria sunt instituta. —

tum est ut etiam excelsiore animo praediti et poetae et philosophi virtutem non sejunctam a venustate quadam et utilitate cognoscerent, excelsiorem ejus notionem non percipientes. Qui verbi causa praecipiebunt *τοὺς ἐχθροὺς ἀντικακουργεῖν* seu *κακῶς ποιεῖν*: nam Archilochus: *ἓν δ' ἐπίσταμαι μέγα, τὸν κακῶς τι δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς*. Pari modo Pindarus Isthm. IV. 86, Pyth. II, 84, et poetae tragici: Soph. Ant. 926., O. C. 270. Sic etiam Gorgias virtutem ponebat in hoc *ἱκανὸν εἶναι τὰ τῆς πόλεως πράττειν καὶ πράττοντα τους μὲν φίλους εὖ ποιεῖν τοὺς δ' ἐχθροὺς κακῶς* Plat. Men. 3., Krit. 10. Cf. Stallbaum. adnot. ad h. l. De venustate autem, morum principio, inter poetas lyrici et inter philosophos Plato admodum diserti et copiosi *).

Haec est ea aetas rerumque civilium conversio et conditio, artificum, maxime Homeri poematibus condita: ubi omnia *κινούμενα*, ubi non jam naturae miracula, sed humanae solertiae artificia, non rerum signa et imagines, sed humanorum sensuum actionumque cum libertate et venustate conjunctarum imagines expetebantur, nec symbolicae, sed dramaticae rerum rationes requirebantur, ubi *suum* quisque populus, quaeque gens ac familia quàm universale ingenium sequi malebat; quod rerum principium deorum primum civitate, deinde hominum societatibus publicis omnino dramaticam naturam exhibentibus satis declaratum videmus. Et jam apud Homerum vitae in dramatis abiere naturam, et numina antehomerica postea mystici dramatis facta sunt. Magis autem postea contra universam materiam distinctae individuaeque formae naturaeque ut deorum sic hominum pugnare coepere: quae est origo rerum dramaticarum. Sed de arte dramatica ex mythi vi profecta adjunctisque civilium rerum conversionibus hic non pergo exponere quum quid illis numinibus priscis factum sit prius explicare debeam. Vide *Hegel.* Aesthet. III. S. 324. Priora enim illa numina tantum abfuit ut omnino tollerentur, ut figura recentiori aetati accomodata suis locis manerent. Quae loca erant ab initio pelasgicae aut orphicae disciplinae plena: iisdemque celebrata ea inveniuntur ab artificibus ac poetis. Cf. interprett. ad Aesch. Eumenid. Et de artificibus jam supra demonstratum est: nam Pausanias II. 30, 1. ab Alcmane triplicem seu tergeminam, et a Myrone simplicem Hecaten fictam esse narrat. Poetarum autem primus post Orpheum si quem fuisse credas, et Hecates celebratione longe praeclarissimus Hesiodus est. Qui Theog. 411—522. dicit eam Persae et Asteriae filiam omnium quaecunque ceteris diis atque deabus adtributa sint participem factam, a Jove ipso summa caritate dilectam et summopere honoratam, et terrae et mari et coelo quodammodo praeesse

---

*) De Aristotelica virtutis notione paulo aliter judicandum esse jam ex hymno in virtutem apud Stobaeum T. I. §. 12. apparet. Etiam aliorum virtutis notiones, Aristotelicae propius accedentes, ex Stobaei Tit. I. περὶ ἀρετῆς §. 8. (ed. Gaisford) cognosci licet.

nil imminuta poteste antiqua, et hominum publicae privataeque vitae actionibus adjutricem esse, maritimis cum Neptuno, rusticis cum Mercurio, pariterque *κουροτρόφον*. Quem locum, quo, quam apte recteque omnia dicta sint, disputatione nostra apparet, quum non ab Hesiodo auctore sed a recentioribus, fortasse ab Onomacrito profectum esse multi multis argumentis demonstrare conati sint: non est quod eum hic ab adversariis defendam: nam et ab aliis hoc jam factum est, et nihil refert utrum Hesiodi an Onomacriti aetate ea, quae summa antiquitate sensa esse demonstravimus, hoc modo exposita credas. Modo hoc addo, Hesiodi altera in patria vatum genus antiquum, cui haec dogmata erant pervulgata, sedes habuisse, tum, quod verbis *καὶ γὰρ νῦν ὅτε ποῦ τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων ἔρδων ἱερὰ καλὰ κατὰ νόμον ἱλάσκηται, κικλήσκει Ἑκάτην* . . . pariter atque illis *καὶ τοῖς οἳ γλαυκὴν δυσπέμφελον ἐργάζονται, εὔχονται δ' Ἑκάτῃ καὶ ἐρικτύπῳ Ἐννοσιγαίῳ* . . . . Cabiriacam doctrinam, qua placandum erat id numen et maxime quidem mari cursuris, cognosci, in illis autem de Mercurio v. 444 sq. pelasgici Mercurii potestatem, et illis *καὶ μουνογενὴς ἐκ μητρὸς ἐοῦσα* orphicam doctrinam *), et illis quibus Persae et Asteriae filia Hecate nominatur, ea Asiae occidentalis et septentrionalis placita, mentem, non naturam, rerum numen divinam probantia, quae initio tractavimus, cognosci. Vim autem, ut ita dicam, magneticam ac spiritualem, non autem eam quam proprius vocant magicam, dea adtributam habet. Teste Pausan. I. 43. idem Hesiodus alibi scripsit, Iphigeniam numine Dianae Hecaten factam esse, cum ceteri Dianam Hecate exortam praedicent.

In hymno Homerico in Cererem quae de Hecate v. 22 sqq., v. 52 et 438 leguntur, quibus deam notissimam et celebratissimam quae videat cum Sole omnia atque audiat, Cereri, cui etiam iter ad Solem praeiverit, et Proserpinae amicam, comitem et propemodum famulam factam esse narratur, pari modo in dubitationem vocata sunt. Quo loco videmus Hecaten prope nova et prorsus epica forma indutam et longe majore munerum parte exutam. Quod ideo factum est, quo Demeter et Proserpina, qnae cum Furiis, jam ap. Aeschylum *chthoniis*, nihil aliud quam Hecate sunt, honoribus et muneribus augeretur **).

Ut ex familiis civitas, sic civitatis jurum legumque, quibus sangvinis ac familiae jura sunt sublata, vindex et auctor exstitit Apollo ex prisco Hecato. Qui non jam naturam ut Dodonaeum numen, sed mentem recti et veri indicem fecit populis, in Delia et maxime in Delphica sede ***). Tunc poetae lyrici et tragici raram inferebant Heca-

---

*) *Mercurius unus Coelo patre, Dia matre natus* cet. Cic. N. D. III. 22. cf. Creuz. adnotata.

**) *Voss.* ad loc. Hymn. et in epistol. mytholog. III. *Preller,* Demet. u. Perseph. S. 54.

***) In Thessalia idem et expiator et salvator et mortis victor: *Stuhr* l. l. p. 215: *ein geistiger Todesüberwinder* cet.

tes et Mercurii mentionem neque eam ab hac epica ita diversam*). Apud Aristophanem autem jam domesticos inter parietes recessisse Hecatica sacra et ludibrio habita cognoscimus: nam erant fere praestigiatorum et et agyrtarum facta, qui tum Asiaticas superstitiones in Graeciam transferebant. Qua aetate Hecate magorum Persicorum numen tutelare factum, omniumque magicarum magistra. Maxime in lunae vim translata est, quam revera ejus vim consangvinitate naturali quadam adtingere supra ostendimus. Sed quae sunt naturae coecae, ea mentis deinceps fieri necesse est. Quod quum Hecate per Hellenas factum esset, naturalis ejus forma, in Asiae locis residua, in Graecia in privatos parietes et domesticos recessus inferioris maxime populi classis recessit, seu potius ibi permansit vitae domesticae ac familiarum domina, donec disciplina ingenii Hellenici labescente, inde a peloponesiaci belli aetate, iterum recenti vi publice vigere coepit. Mystica sacra praeter Eleusinia tum interdicta quidem publice, sed Aeschinis mater, Empusae sacerdos, post Ninum morte multatam, constituta: ut appareret, animos epicis et plasticis seu aestheticis deorum formis non jam acquiescere. Eorum enim deorum vis vere divina ab artificibus sub lucem proposita a mente hominum sagaciorum ita percipiebatur, ut mox quasi absorberetur, et ea quae mentis facta erant, vivido tum colore divino, quo artifices eos imbuerant et repleverant, spoliabantur, ut in umbrarum formas abirent philosophorum maxime scrutationibus et explicationibus. Quo factum est ut Hecatombas non jam desiderarent.

Et — ut jam de venerationis modo reliqua addamus — dicitur jam Orpheus quodamodo mitioribus alimentis deos nutrivisse et cruenta sicrificia abrogare studuisse: quae cruenta sacrificia in Thracia et Asia septentrionali etiam humana erant, ut in cultu Artemidis Tauropolae quae ipsa erat ab initio Hecate**). Sensuum pio cultu et cantando, precando, lustrando Orpheus deos *spirituales* venerari docens, et orgiastico cultuum generi quod maxime Sabazio addictum ex Phrygia in Thraciam pervenerat, resistens et impugnans multos habuit adversarios. Adjutores autem mox existebant ei e philosophis primis maxime Pythagoraei. — Sed priusquam de Orpheo, peculiaris deorum venerationis auctore, plura dicam, necesse est ut doceam,

---

*) *Wurm.* l. l., et Schol. Apoll. Rh. III. 467. Περσηΐδα τὴν Ἑκάτην λέγει ὡς τοῦ Περσέως θυγατέρα. Τινὲς δὲ αὐτήν φασι Διὸς εἶναι παῖδα. Ἐν δὲ τοῖς Ὀρφικοῖς Δήμητρος γενεαλογεῖται· καὶ τέτε δὴ Ἑκατὴν Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν. Βακχυλίδης δὲ Νυκτός φησιν αὐτὴν θυγατέρα· Ἑκάτα, δᾳδοφήρου Νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ. Μουσαῖος δὲ, Ἀστερίας καὶ Διός. Φερεκύδης δὲ, Ἀρισταίου τοῦ Παίονος. De Musaei doctrina loquitur id. III. 1035.

**) V. Orph. Argon. 904. 960. Athen. D. VII. 325. B. Gr. Lexicogr. s. v. Ἀνταία et Ἐνοδία.

mihi me persvasisse, vatum septentrionalium genus antiquum eo nomine indicari: quorum vatum Druides, etiam Dodonaei et Delphici initio fuerunt. Iidem, etiam Theogoniarum posteriore tempore auctores *), e Pieria ad Thraciam, ad Atticam usque pertinentem, profecti hic novas sedes inter Pelasgos fixerunt Thucyd. II. 28 et 29.: ut ad consangvineos Miltiades colonos deduceret tempore Pisistrati, et orphicae i. e. septentrionalis **) disciplinae institutor vir singularis Orpheus jam Solonis aetate Graecis innotesceret, quem primus commemorasse videtur Pherecydes (Sturz. Fr. 18.). Phrygibns cum Thracibus commixtis deinde Orphicorum disciplina cum Hecates juncta Liberi sacra et ita instituta sunt, ut Hecate eam, quam habet apud Hesiodum, haberet vim, Liber autem esset patiens ille Deus (quem populos septentrionales maximopere mente percepisse etiam fabulis septentrionalibus de Balduri morte cognoscitur, quemque mature Graecos etiam ab Aegyptiis cognovisse Xenophones testatur ap. Plat. Amat. p. 763 ***), quem proxime Asiae minoris incolae celebrandum tradiderant. Calamitates Liberi s. Zagrei etiam in Eleusiniis (inter Proserpinae mala auctore Eumolpo luctu culta ac celebrata) consecratae fecerunt ut Orpheus a paucis eorum quoque sacrorum auctor haberetur qui antiquioribus illis Hecaticis melius procurandis intentus fuisse a pluribus perhibeatur. Cerealia sacra ineunte vere et maxime cantandis hymnis celebrata esse jam nomine Eumolpi indicatur. Hecatica autem seu Orphica hieme ingruente, nocturno tempore, terrificis caerimoniis — procurabantur. Et quamquam de Hecates mysteriis in Thessalia, Aegina — celebratis parum constat, tamen ex Eleusiniorum nocturnis ceremoniis, quae illorum fuerit ratio, colligi potest. Ea ex arte Graecorum scenica et dramatica fluxit. Accessit autem ultima Graecorum aetate ad hanc cultus Hecatae et Mercurio seu Zagreo dicati formam, quam Orphicam dicimus, posteriorum Orphicorum ratio, quae theurgica ac syncretica vocatur. Etenim posterioris aetatis Orphici ab Orpheo illo longe diversi deos publicos, quorum vis absorbta videretur, ad unam formam redigere licere divinam i. e. naturalem, atque iterum a natura rerum, quam quidem mente percepisse

---

*) Theogoniarum conditores in Boeotia facti Orphici vates, quum Ionum, Aeolum et Dorum fabulas et mythos plasticos s. aestheticos dogmata sua frigida ac sterilia obruere sentirent coeli et terrae ipsius ingenio mitiore progenitos. Ante annum 660 ante Chr. hoc factum esse inde apparet quod ab Aristotele ii Epimenide et Pherecyde (c. 660) aetate priores dicuntur.

**) Vocis origo nota in vulgus. Orpheus et ipse fabulis quibusdam patiens numen, pariter uxor Eurydice. V. Nork, Hieroglyph.

***) Ξενοφάνης Αἰγυπτίους ἐκέλευσε τὸν Ὄσιριν, εἰ θνητὸν νομίζουσι, μὴ τιμᾶν ὡς θεόν, εἰ δὲ θεὸν ἡγοῦνται, μὴ θρηνεῖν. Apud Hebraeos *spirituales* mentem populi, quippe Jehovae servum, fuisse patientem deum, cumque Messiae notionem excitasse, qui apud populos naturae deditos Dionysos, Osiris, Adonis cet. erat, supra jam significavi.

putarent, etiam animorum, pietate erga deos vacuorum solatia et quae ad corpus quoque pertinerent medicamenta repetere conati sunt: quae animi corporisque medicamina antea Apollo cum altera sui parte Aesculapio ita praebuerat, ut p. Chr. n. nonnulli putarent, eorum potestatem cum Christi comparandam esse. Et quod prisci homines magistris natura ac sensibus fecerunt, id ii mentis vi tractare studentes quae toto Oriente ab antiquiore aetate remedia et auxilia viderentur residua, undecunque congesta conjungebant popularibusque propinabant. Qua aetate quibusque auctoribus omnes dii deaeque in Mercurii et Hecates formas ita rursus relati sunt, ut Mercurius esset in coelo Jupiter, in mari Neptunus, in inferis Pluto, item Apollo, Vulcanus, Dionysus, Jacchus cet., parimodo Hecate in coelo Juno, in terra et inferis Demeter et Proserpina, item Artemis, Venus, Io cet *). Denique antiquissimam Hecaticae religionis sedem repetiere, Asiam septentrionalem, maxime Bactrinam regionem, quo tum Anahitis seu Mitra et Mithras duorum deorum principum formam induerunt et cultiorem, et, cum olim daemonia fuerint sine forma et nomine, sensu modo culta, ut supra demonstratum est, *materialem* i. e. solidiorem magisque sub oculos cadentem: quod maxime tum factum est postquam ille credi sol, haec luna coepta est: qua opinione etiam illud turbatum est quod antiquissimum numen neutrius sexus seu androgynum erat, ita, ut foeminea natura potior videretur, quod supra demonstravimus, quo etiam id pertinet quod deus Lunus fictus est cultusque, et quod Persae quoque olim Mitram potiorem aestimabant Herod. I. 131, VII, 37, qui postea Mithrae forma solem seu ignem venerari didicerunt. Utriusque sexus natura indutus deus princeps potiore natura foeminea effecit ut, cum deus quem Lunum (Μῆνα) Pontici dixerunt, sejungeretur, non dupplex modo, sed etiam triplex forma fingeretur secund. Jul. Firmic. de error. prof. religg. V. p. 16.: *Persae et Magi — — Jovem in duas dividunt potestates, naturam ejus ad utriusque sexus transferentes (et) viri et foeminae simulacra ignis substantiam deputantes, et mulierem quidem triformi vultu constituunt, monstrosis eam serpentibus illigantes.* Quae mulier *triplex* nummis Bactrianis conspicitur quasi Mithra-Artemis-Hecate, cui Μίθρας τριπλάσιος (ap. Maxim. in Schol. ad Dionys. Areopagit. Epist. p. 91.) posteriore aetate appositus reperitur, et utrorumque fortasse, quamquam initio priorum solum, Μησίτης quidem, quem pari modo vocant Mithram, cujusque forma ac natura ex mysteriis Mithriacis videtur fluxisse, ubi is idem qui Graecorum mysteriorum deus patiens, erat, matre Mitra, patre Mithra. Et is Mithras quidem Zendi-

*) De Trophonii cultu et oraculo hujus aetatis recte *Stuhr* l. l. 91. Et jam Cic. hunc, qui sub terris habetur et Mercurium et Trophonium dicit: N. D. III. 22. De myst. Hecat. celebritate Orig. c. Cels. VI. 290.

cae religionis 'Ωρορμάσδης, quo cum Perses consangvineus Helio patre, Perse seu Perseide matre Homer. Odyss. X. 138 sqq. cll. Schol. Persen autem quocum Graecorum Perseus initio idem, et Aeeten pari qua Hecaten filiam seu neptin magicae incantandi ac fascinandi artis gloria excelluisse, demonstratum est a Buttmanno Mythol. II. S. 192. Cf. *Creuz.* Symb. I. 11. p. 335 sq., ubi *Raoul-Rochette: la fig. d. c. déesse* cet.

Hoc igitur ab cultus genere et a mysteriis mithriacis multa Orphici in sacra sua contulerunt, quae quum jam a Lobeckio in Aglaoph. multifariam adnotata sint praetereo quidem, sed hoc addo, ab Orphicis istis ex Asiaticis illis dogmatibus, quibus unius et universalis numinis vis spiritualis ac natura daemonica pro vero numine colebatur, πνεῦμα ἅγιον non minus perceptum videri quam ab Zoroastro, a Semitarum magna parte et ab Italicis gentibus quae *Mentem* s. *Semonem* S. id numen vocabant. Et quod in evangelio apocrypho Ebraeorum est — ἔνθα αὐτὸς ὁ Σωτὴρ φησι, ἄρτι ἔλαβέ με ἡ Μήτηρ μου, τὸ ἅγιον πνεῦμα, hoc tantum abest ut dubitem ad antiqua illa dogmata referre, ut putem addendum, quoniam, quod supra omnis hujus religionis principium esse demonstravimus, ea mundi vis, cujus formam Persae Mitram, sedem veterum plerique in sole aut luna positam putabant, vere divinae aeternaeque naturae est, omnem eam divinum Σωτῆρα complexum esse, eaque videri posse ea, quae miracula dicuntur, perfecisse. Namque aeternae speciei ac naturae tantummodo rudes formae putandae sunt populorum divinationes, imaginationes atque opiniones, quas ipsa ea vis, humano generi per deum, τοῦ γένος ἐσμέν, insita amplectebatur donec ea sui juris liberique arbitrii facta est per Σωτῆρα populorum, qui eam, mentis suae factam, suis, natura jam seu divina origine ejus affinibus, formâ πνεύματος ἁγίου tradidit, seu potius eam in iis excitavit mentique reconciliavit. Vidimus autem eam vim symbolo deinde mytho ab hominibus conceptam apud Graecos aestheticum deorum genus procreasse, quibus humana figura distinctarum specierum norma ac μέτρον fiebat, quibusque liberaliter (καλῶς) agendi ratio adjungebatur, neque erit quisquam quin etiam hoc sibi persuadeat specie divina humanae menti insita factum esse. Quae divina hominis species cum vi illa pneumatica per hominum theurgicorum, maxime orphicorum mentes consociata exemplum erat Σωτῆρος, quod eadem qua formae rudiores illae ac mancae necessaria mentis universae natura ac lege sub hominum adspectum prodiit omnibus precibus ac desideriis expetitum. In quo non modo et nascendi conditione et vitae post mortem perpetuitate quam resurrectionem et quod utique idem est, adscensionem dicunt in coelum, vis illa seu πνεῦμα aperuit ac confirmavit, se sui juris esse factum, verum etiam id praesentiae suae, etiam in coena sacra efficacis ac pollentis, continuitate testari pergit dergetque in perpetuum!



Corrigenda: p. 8. Not. *) et **) l. *Preller* pro *Goeller*. P. 13. lin. 23. *Omisso* p. *Omissa*.

Schulnachrichten
über
das Schuljahr von Ostern 1839 bis Ostern 1840 *).

A. Uebersicht des ertheilten Unterrichts.

Prima.
(Ordinarius: Prediger und Prorektor Guiard.)

1) Deutsche Sprache 2 St. Geschichte der älteren deutschen Literatur 1 St. Aufsätze, freies Sprechen, Deklamiren und Lesen 1 St. i. S. Guiard. Geschichte der deutschen Literatur seit Klopstock, verbunden mit Erläuterung schwieriger Abschnitte aus deutschen Klassikern 1 St. Aufsätze und Uebungen im freien Vortrage 1 St. i. W. Rosenberg.

2) Lateinisch i. S. 7, i. W. 8 St. Horat. Od. L. I. i. S. Horat. Epist. I. 1—17. incl. i. W. 2 St. Cic. de nat. Deor. I. u. II. zum Theil, i. S. 3 St. Cic. d. nat. D. II. die größere Hälfte und Cic. pro Murena i. W. 4 St. Freie Aufsätze, Exercitien, Extemporalien und Uebungen im Sprechen 2 St. Guiard.

3) Griechisch i. S. 4, i. W. 5 St. Platon. Menon. u. die Apologie 2 St. Hom. Il. VI—VIII. i. S. L. IX—XI. 2 St. i. W. Haupt. Demosth. orat. de coron. C. 1—62. und Uebungen im Griechischschreiben 3 St. i. W. Rosenberg.

4) Hebräisch 2 St. Gesenius Lesebuch S. 7—30. u. S. 83—95. Wiederholung der unregelmäßigen Verba und der Nomina. Guiard.

5) Französisch 2 St. Ideler's u. Nolte's Handbuch, poet. Theil, i. S. die Abschnitte Racine, Quinault u. Boileau; i. W. Boileau u. Fénélon 1 St. Schreiben 1 St. Pfefferkorn.

6) Religion mit Sekunda verbunden i. S. 1, i. W. 2 St. Christliche Sittenlehre, i. S. allgemeiner, i. W. besonderer Theil u. die Beförderungsmittel der sittlichen Gesinnung. Guiard.

7) Mathematik i. S. 3, i. W. 4 St. Summarische Wiederholung des ganzen Kursus; i. S. Lacroix Algebra §. 156—223. i. W. Häusliche, vom Lehrer verbesserte Arbeiten in dieser, wie in den folgenden Klassen. Heiligendörfer.

8) Physik 2 St. nach Kries Lehrbuch §. 224—307. i. S.; i. W. mit Sekunda kombinirt §. 308—424. Die Versuche wurden außer den Schulstunden angestellt. Heiligendörfer.

*) Ueber die Namen zweier Lehrer bei manchen Lektionen giebt Abschnitt C. Aufschluß.